

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0397

Mercoledì 21.06.2000

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL MILLENNIO DEL CRISTIANESIMO IN ISLANDA (REYKJAVÍK, 1-2 LUGLIO 2000)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL MILLENNIO DEL CRISTIANESIMO IN ISLANDA (REYKJAVÍK, 1-2 LUGLIO 2000)

In data 7 marzo 2000, il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato l'Em.mo Card. Edward Idris Cassidy, Presidente del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del millennio del Cristianesimo in Islanda, in programma a Reykjavík nei giorni 1-2 luglio 2000.

L'Em.mo Card. Edward Idris Cassidy sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Mons. James P. Green, Consigliere della Nunziatura Apostolica in Islanda;
- Rev.do Sac. Hjalti Thorkelsson, Vicario Episcopale della Diocesi di Reykjavík per la Liturgia e la Catechesi;
- Rev.do Sac. Jacob Rolland, Cancelliere della medesima circoscrizione ecclesiastica.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Edward Idris Cassidy:

Venerabili Fratri Nostro

EDUARDO S.R.E. CARDINALI CASSIDY

Pontificii Consilii ad Unitatem Christianorum Fovendam

Praesidi

Inter maximi huius iubilaei causas ac laetitias praecipuas numerari merito debere arbitramur optabiles omnes opportunitates Nobis divinitus oblatas ad Christianorum per orbem efficaciter adiuvandam unitatem confirmandamque. Eius quidem generis desideratam omnino celebrationem iam nunc faustissime eventuram praevideamus in Islandia Kalendis ipsis Iuliis ac postridie, cum videlicet millesimus feliciter transactus annus

commemorabitur ex quo nomen Christianum in eandem Insulam divino prorsus est perlatum consilio.

Gestit profecto Mater Ecclesia una ibi cum universis eiusdem christiana fidei participibus et assertoribus tam salutarem concelebrare rem ac memoriam, una videlicet cum singulis inibi christiani Evangelii assectatoribus adeo honorificum fructuosumque excolare eventum qui, dum suadet ut anteacta tempora grato demissoque animo respiciantur, hortatur nihilo minus vehementer ut ventura sapienter exspectetur prudenterque praeparetur christiana illic religionis aetas.

Quo autem luculentius communicatio Ecclesiae Romanae ostentetur ac participatio effusae populi Islandici gratulationis de hac historiae propriae recordatione, volumus plane ac statuimus ut praestans communis Catholicae administer adsistat inter civilia et religiosa eiusdem celebritatis sollemnia die primo et secundo mensis Iulii, qui personam Nostram plena auctoritate publice gerat, pro Nobis eloquatur, sensus et affectus Nostros erga eiusdem loci Christianos cunctos rite aperiat. Te igitur, Venerabilis Frater Noster, quem plus decem abhinc annos praesidere iussimus Pontificio Consilio ad Unitatem Christianorum Fovendam cuiusque interea opera et incepta huius laudabilis maxime rei gratia semper sumus admirati, harum Litterarum virtute Nostrum destinamus *MISSUM EXTRAORDINARIUM* ad publicam millesimi anni celebrationem ab allata christiana religione in Islandiam, diebus superius commemoratis.

Adstabitis ideo Nostro nomine Nostraque ex sententia sermocinaberis de momento fructuque spirituali oecumenico ecclesiastici illius commemorationis. Salutabis audientes omnes Nostris veluti vocibus, quem ad modum hic olim Nos et Praesidem Rei Publicae Islandiae consulutavimus et Episcopum ipsum Ecclesiae Lutheranae fraterno nimirum amicoque sermone. Te igitur pro Nobis sapienter illic agente, et alium florem addere Nobis licebit magni huius Iubilaei clarae coronae et Christo Domino revera parere precanti videlicet ac mandanti ut omnes unum sint.

Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Maii, anno MM, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.

IOANNES PAULUS II

[01447-07.02] [Testo originale: Latino]